



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCCXVI. Ioannis Papae VIII. Ad Comites In Regno Lvdovici Regis  
Baioariae Constitvtos. Arguit eos, quod Caroli regnum peruadere tentarint;  
monetque vt Ludouicum regem ab ea mente reuocent, & ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

scatis? nunquamque de reliquo, siue blandimentis, siue terroribus, consensum quemlibet fauoremve præstetis ad funestum prælium conferendum, & Christianorum sanguinem profundendum, si non vultis, amissis sacerdotalibus infulis, ab apostolica communione præsentialiter sequestrari, & perpetuis anathematis vinculis, quod nunquam cupimus, obligari? Nam cuiuscumque sit gradus, ordinis, sublimitatis, siue professionis, qui cum præsentibus legatis nostris, Ioanne Siculensi, itemque Ioanne Tuscanensi, venerabilibus episcopis, quos vice nostra illas in partes ad examinanda simulque diffinienda canonice siue legaliter, quæ hoc anno inter utrosque emerfere negotia, conuenire in loco ab eis designato, eisque satisfacere humiliter detrectauerit, auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum Petri & Pauli, nostræque mediocritatis, veniam sibi deinceps nouerit denegari. nec amodo communionis nostræ, ut verbis sanctissimi nostri prædecessoris utamur, futurum esse consortem, quisquis esse noluerit disciplinæ. Optamus sanctitatem vestram sedis apostolicæ monitis obsequentem semper in Christo bene valere. *Recitata in Synodo Pontigonensi.*

## EPISTOLA CCCXVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD COMITES IN REGNO LUDOVICI REGIS  
BAIOARIÆ CONSTITVTOS.

Arguit eos, quod Caroli regnum peruadere tentarint; monetque ut Ludouicum regem ab ea mente reuocent, & ut legatis, quos mittit, satisfacere non detrectent.

*Ioannes episcopus seruus seruorum Dei, omnibus gloriosis comitibus in regno Hludouici regis Baioariæ constitutis.*

**M**INISTERII nostri est, vniuersalis ecclesiæ Dei solitudinem, secundum beati Pauli apostoli sententiam, circumferre, & quid in qualibet mundi parte congruat, siue non congruat, cenforia grauitate depromere: quatinus oues dominicæ, quæ vocem pastoralis nostræ solitudinis cognoscentes, pastorum principem humiliter

audiunt, in ouile dominicum recognita collocentur, & oues morbidæ, quæ peruicaciter negligunt, ab ouili dominico, ne fanas vicini pecoris contagio lædat, quia nimirum multa corporibus transitione nocent, per apostolicæ auctoritatis ministerium repellantur. Scriptum quippe est:

*Jer. 15.* *Si separaueris carum a vili, quasi os meum eris.* & iterum: *Matth. 5.* *Auferite malum de medio vestri.* & Dominus in euangelio præcipit, vt si oculus, pes, vel manus scandalum nobis generat, abscidatur atque proiciatur. & illud post alia: *Matth. 18.* *Si ecclesiam non audierit, sit sicut ethnicus & publicanus.* Item Apostolus: *2. Theff. 3.* *Si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo.* Quibus testimoniis euidentissime prouocamur, vt vos, quos contemptis apostolicæ sedis epistolis, regnum dilecti filii nostri Caroli Christianissimi imperatoris, contra interdictum nostrum, imo contra Dei omnipotentis timorem, peruadere, sicut audiuius, pacemque sanctæ Dei ecclesiæ corrumpere tentauistis, a corpore totius eiusdem ecclesiæ, quam per antecessores nostros, perque nosmetipsos, vos suis epistolis commonentem audire hactenus nolulistis, sequestrari præsentialiter debeatis. Sed quoniam sanctæ sedis apostolicæ miseratio vos interim filiorum dilectione complectitur, & dissimulare peccata vestra magis quam punire velle cognoscitur, has iterum caritati vestræ sanctæ Dei ecclesiæ literas destinamus, hortantesque instamus, vt diuini iudicii memores, & fraterni foederis recordantes, imminentemque vestræ vocationis diem vltimum præcauentes, fraudem diabolicam, per quam mors introiuit in orbem terrarum, effugiatis: discordiam, quæ nutritrix est cunctorum criminum, quasi venenum pestiferum declinetis: ne similes ei efficiamini, de quo Salomon ait: *Præter. 6.* *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & in omni tempore iurgia seminat.* Pacem & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, diligatis. quoniam sicut pacifici sunt a Domino non solum beati, sed etiam filii Dei vocati: ita satanæ sunt filii, qui pacem confundunt. Nam discordes tamdiu nullum boni operis Deo sacrificium immolant, quamdiu a proximorum caritate discordant. Vnde per Matthæum præcipitur: *Matth. 5.* *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater*

*tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum ante altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum.* In qua dominica præceptione pensandum est, quorum hostia respuitur, quam intolerabilis culpa monstratur. Cum enim mala præterita bonis operibus diluantur, pensare debetis, o prudentissimi comites, quanta sunt mala discordiæ, quæ nisi extincta fuerint, bonum sacrificii subsequi non permittunt. Quis itaque, dilectissimi, vos ad tantæ discordiæ crimina, nisi antiquus humani generis aduersarius, prouocauit? qui ex angelo factus apostata bonæ messi semper zizania superfeminare laborat. De cuius auiditate per apostolum dicitur: *Aduersarius vester diabolus* <sup>1. Pet. 5.</sup> *tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide.* Et certe fides sine operibus mortua est. & beatus Paulus, collatis multis virtutibus, caritatem, quæ multitudinem peccatorum operit, prætulit dicens: *Sine prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.* & infra: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc, maior autem his est caritas.* Vnde bene per Ioannem dicitur: *Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* <sup>1. Cor. 13.</sup> <sup>2. Ioan. 4.</sup> Constat ergo quia qui in Deo non manet, in diabolo manet, cuius membra sunt omnes, qui iurgia seminant, & ecclesiasticam disciplinam recusant, quibus veraciter dicitur: *Vos ex patre diabolo estis.* Qui videlicet Caroli virtutibus ab <sup>Ioan. 8.</sup> ineuntis ætatis principiis inuidens, eiusque religiosum propositum longius propagari pauescens, multis aduersitatibus lacessiuit: fideles eius frequentissime rebellare suasit, in bello contra Northmannos pro ecclesiæ Dei liberatione pugnanti, eosque vsque ad vltimam deditionem compellere satagenti, senioris vestri, parentum quoque, siue vestrum animum ad inuasionem relictæ eius imperii, sicut & modo fecisse dinoscitur, suscitauit. Ipsos familiares, ipsum postremo filium, ad eius exterminium hostiliter prouocauit: & ne quando ad imperium, quod ei constat non humano collatum beneficio, licet per nostræ mediocritatis ministerium, sed diuino, pertingere potuisset, tota fraudulentæ suæ virtute prohibuit, tota consilii sui versutia debellare certauit. Sed Deus omnipotens, cuius prouidentia per mutabilium rerum principes totius mundi latitudo gubernatur & regitur, hunc flagellis erudiri

frequentibus voluit, deprimi penitus, sicut a vobis crebro probatum est, nunquam permisit, ut scilicet futurus imperator in regni potestate disceret, quantum timere Dominum in prosperis, quantum in aduersis Deo confidere debuisset. Et quidem reprehensibilis esset, si metas sui regni ingrediens fines alterius vsurpasset, si fideles alterius sollicitans, ad periurium, sicut vos fecisse probamini, compulisset, si pacem regni, sicut vos facitis, temerasset. Nunc vero, cum diuinitus præscitus & prædestinatus, non a semetipso, sed ab ecclesiæ Dei filiis inuitatus aduenerit, sine sanguine, sola sua beneuolentia huius Italiæ fortissimos sibi duces deuinxerit, angelico munere vias suas per inuia loca directas inspexerit, frustratis insidiis ei compositis diuinitus liberatum se senserit, paludes inuias sibi peruias factas inuenerit, vada profundorum fluminum, velut alter dux Israeliticus, exercitibus suis pene sicca repperit, miramur & obstupescimus, cur eum a Domino prælatum non intelligitis vos, qui sensibiles estis, quem elementa insensibilia sensisse videntur. Miramur & obstupescimus, cur parricidalia contra eum arma sustollitis, quem ab ipsa sua infantia multis aduersitatibus fatigatum vidistis, superatum vero protegente Domino minime cognouistis. Miramur, inquam, & obstupescimus, cur eum, quem obedientiæ suæ merito vobis diuinitus prælatum cognoscitis, non sicut reuera imitabilem sequimini, sed sicut detestabilem, quantum in vobis est, persequi laboratis. Cum si exemplo illius obedientiæ vos sancta sedes apostolica sibi aliquoties deuotiores cognosceret, benedictionis suæ vos & in hoc sæculo gratia debriaret, & in futuro ad hereditatem regni cælestis admitti suis continuis precibus impetraret. Sed quando sanctæ fedi apostolicæ debitam vos obedientiam seruatuos putabimus, quos contra Dei omnipotentis ordinationem tam manifestis indiciis rebellare videmus? Neque enim contra Carolum est murmur vestrum, sed contra Dominum, cuius est regnum, & cui voluerit ipse dat illud, qui etiam per Salomonem dicit: *Per me reges regnant.* item per doctorem gentium testatur dicens: *Non est potestas, nisi a Deo.* & iterum: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Redite igitur præuaticatores ad cor, & quia mors non tardat, nolite differre

*Prou. 8.*

*Rom. 13.*

differre de die in diem. Nolite socialia bella committere: nolite parricidales gladios in perniciem vestri fustollere. Nolite Fontanicum detestabile prælium reuocare. quia sicut qui pro ecclesiæ Dei defensione moritur, suo sanguine coronatur: ita qui contra Dei ecclesiam pugnans ut refuga Christianitatis perimitur, procul dubio condemnatur. Nolite, carissimi, pro breuibus vitæ commodis æternæ remunerationis vobis ianuam claudere. Nolite pro rebus transitoriis æternorum bonorum commoda præterire. Quia iuxta beati Marci sententiam, *nihil* Matth. 8. *prodest homini si lucretur totum mundum, animæ vero suæ detrimentum patiatur.* Huius rei gratia generalitatem vestram, quam paterno affectu complecti volumus, his apostolicæ auctoritatis literis identidem hortamur ac obtestamur, ut tandem aliquando nobiscum pariter sentientes, tam dilectum filium nostrum Hludouicum gloriosum regem vestrum, (si tamen filius dici meretur, qui apostolicæ sedis monitis semper inobedientissimus extitit, si gloriosus dici debet, qui adhuc in senectute decrepita Christiani sanguinis effusionem desiderat, si rex dici debet, qui neque vos, neque semetipsum regere valuit, quominus absentis fratris regni pacem corrumpere,) quam cunctos vestri regni homines, voce libera moneatis, & ab inuasionem siue oppressionem imperii dilecti filii nostri Caroli semper Augusti funditus retrahatis: nunquamque de reliquo, siue blandimentis, siue terroribus, assensum quemlibet, fauoremve præstetis ad funestum prælium inferendum, & Christianorum sanguinem, quod Dominus auerterit, effundendum. Nam cuiuscumque sit sublimitatis, dignitatisve persona, quæ præsentibus legatis nostris, Ioanne Siculensi, itemque Ioanne Tuscanensi, venerabilibus episcopis, quos vice nostra illas in partes, ad examinanda simulque diffinienda canonice, siue legaliter, quæ hoc anno inter utrosque fratres emerfere negotia, conuenire in loco ab eis designato, eisque satisfacere humiliter directauerit, auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum principum Petri & Pauli, nostræque mediocritatis, veniam sibi deinceps nouerit denegari, nec amodo communionis nostræ futurum fore consortem, qui socius esse noluerit disciplinæ. Optamus gloriam vestram

apostolicis monitis obsequentem semper in Christo bene valere.

## EPISTOLA CCCXVII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EPISCOPOS ET COMITES IN REGNO  
CAROLI CONSTITVTOS.

*Laudat illos, quod in fide constantes erga Carolum persisterint:  
& de legatis, quos ad componenda dissidia mittebat  
in Galliam.*

**B**ENEDICTVS Deus & Pater domini nostri Iesu Christi, qui vestræ sinceritatis fideique constantiam duriorē, vt ita dixerimus, adamante erga fidelitatem inuictissimi principis domni Caroli spiritalis filii nostri, semperque Augusti, hæcenus non indebite fecit persistere, & quanti calor in vobis caritas vigeat, dono gratiæ largitatis suæ clarius demonstravit: quatenus notam faceret gentibus virtutem gloriæ suæ, & diuitias bonitatis suæ, ad profectum fidelium, & ad correctionem infidelium, omnibus reuelaret. Ostendistis enim, carissimi, quantum sit erga pacis & concordiæ cultum vestræ beneuolentiæ benignus affectus, & implestis opere quod ipse a vobis exigit Christus, dicens in euangelio: *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* & apostolus ait: *Fides sine operibus mortua est.* Vnde noster apostolatus immensæ lætitiæ repletus tripudio, primum quidem Deo omnipotenti sufficientes ac laudes debitas, quia nihil sine eo facere possumus, retulit, & vobis, qui studiose tanto imperatori fidem immaculatam seruastis, multimodas gratiarum actiones agere, dignisque vos efferre laudibus non omittit. Siquidem, dilectissimi, satis vobis prudenter consuluistis, quando aliis, quod flentes dicimus, vel sponte, vel callide ac fraudulenter deceptis, vos, sicut diximus, fidei calore vtentes, & Deum præ oculis habentes, noluistis iniquorum vel tyrannorum fascibus onerari vel maculari. Quin potius restitistis, prauitibus eorum non consensistis, & peccatis alienis minime communicastis. Idcirco libere dicere valebitis: Non ad-

*Matth. 7.*

*Iac. 10.*